

AD M. LUTHERVM.

lentes panem, calicem, cœnam, mensam Domini, commu-
nicationem corporis et sanguinis Domini, dicere cū Chri-
sti Apostolis, quàm cum Christi hostibus, sacramentū et
Missam, quāquam et in his uoculis, nemini uolumus suam
ademptam libertatem, modo utatur ea ad ædificationem.

Monstrum aut quæso cur uocas nostram sententiam,
quæ non pilum latum à scriptura Dei recedit? Da discipu-
los Christi, de alijs enim nihil ad nos, Cœnam Christi agi-
tantes, mortisq; eius memoriam celebrantes, illos confite-
mur, ut Christum in medio sui habere, ita carnem eius ue-
re manducare, & sanguinem uere bibere, sed spiritu &
per fidem. Quid hic monstri? Quod non addimus corpus
Christi transponi corporaliter & per miraculum in pa-
nem, in causa est, quod nulla adhuc scriptura probastis,
repetitis ab homine super panem uerbis Christi, corpora-
liter aliquid in pane mutari, & Christum in panem cor-
poraliter includi, neq; aliquid huiusmodi mandatū nobis,
aut promissum. Illud enim: facite hoc in meam commemo-
rationem, & si per se satis pateat, nullam huiusmodi in se
promissionem habere. Tamen & Paulus illud interpreta-
tur subiiciens: quotiescunq; enim comederitis panem hūc
& calicem biberitis, mortem Domini annunciatis, do-
nec ueniat. Ergo edere hunc Domini panem, & bibere ca-
licem eius, atq; mortis ipsius pro nobis obitæ, cum laude
meminisse, id demū est, quod uerbis illis, facite hoc in meā
cōmemorationem, Christus facere nos iussit. Quid

D 3 hic